

Art. 4. Constitutionum ejusdem Regni Sclavoniae, in Generali Decreto contentarum, Anni 1538. et ad Articulum 85. Anni 1659.

§. 1. Cum ea declarione; quod pro prima insurrectionis vice, Domini quidem Terrestres, a duabus Portis, ex parte sua unum Equitem, ex parte vero subditorum, unum peditem submittere; ac tam ipsi Regnicolae possessionati, quam Nobiles unius Sessionis et Armalistae, personaliter insurgere; ac Liberae quoque Civitates, modo ibidem declarato concurrere; postmodum vero visa majori, vel extrema necessitate, modo et Ordine in praecitatis Articulis denotato, militare debeat ac teneantur.

Regna Croatiae et Sclavoniae, ex media Tricesima et continuanda Contributio-
tione; quingentos Pedites intertenebunt ulterius.

Articulus 17.

Status vero et Ordines Regnum Croatiae et Sclavoniae, tum ex media Tricesima in illis Regnis proveniente et imposterum quoque continuanda; tum etiam ex Contributionibus Subditorum suorum annuatim ibidem imponendis; juxta Articulum 86. Anni 1659. et alios ibidem citatos; quingentorum circiter Peditum intertentioem et solutionem, vice iterata offerunt.

Universis Regni Confiniis, etiam Banalibus, necessarias munitiones sua Majestas subministrari faciet: et praecipuorum praesidiorum fortificationi providebit.

Articulus 18.

Illud quoque grati animi contestatione recolunt Status et Ordines; quod sua Majestas in munitiones Confiniorum, non exiguum pecuniae summam erogari curaverit et ulterius sese in munimenta eorundem Confiniorum erogari curaturam benigne offerat.

§. 1. Quod etiam conditio 8. Diplomatis et Articulus 85. Anni 1649. et Artic. 20. Anni 1625. et Artic. 35. Anni 1618. suaderent, et Regnicolae etiam votis omnibus demisse expeterent; ut sua Majestas, universis istius Regni Confiniis etiam Banalibus, signanter vero Oppido Simegh, per Reverendissimum Dominum Georgium Szecheny, antea Veszprimiensem, jam vero Jauriensem Episcopum, muris cincto; Praesidio Bujak et Novae Arci per Dominum Comitem Banum, adversus Canisam aedificatae; necessarias munitiones, benignissime subministrari facere; ac fortificationi praecipuorum Praesidiorum, ulterius quoque clementissime providere dignetur.

Pro rectificationibus Metarum, Regni Croatiae et Sclavoniae; Commissarii denominantur cum termino.

Articulus 38.

De metis porro Regni Croatiae et Sclavoniae, cum vicinis Provinciis, potissimum vero cum Inclyta Provincia Carnioliae, usque ad Mare Adriaticum rectifi-